

No. 448. 1348. 24. Sept.

*Markgraf Friedrich gewährt dem Arzte Meister Dietrich von Cölln in Anerkennung oft bewiesener treuer Ergebenheit auf Lebenszeit Befreiung seiner Pfründe in Meissen von jeglicher Belastung.*

Fridericus dei gratia etc. Industrioso et legali viro magistro Theodorico de Colonia<sup>a)</sup> professori medicinae, phisico et fideli dilecto gratiam et votiva successuum incrementa. Frequens et assidua obsequiorum vestrorum fidelium, quibus nobis hactenus adhaesistis et adhaerere nobis in antea frequentius debetis, sollicitudo nobis illum amoris infixit affectum, ut vobis aliquam beneficiorum partem licet non condignam inpendi nostra serenitas dignum duxit. Quamobrem bona omnia et singula ad vestram praebendam in Mysna spectantia ab omni exactionum, precariarum, talliarum, steurarum et aliarum contributionum quarumcunque onere nobis in eisdem de antiqua consuetudine vel de facto quovis modo competenti, ut obinde honestius vivere et censuales vestros amplioribus defensionum beneficiis prosequi valeatis quoad vixeritis, ad vitae vestrae tempora libera habere volumus penitus et exempta. Et [ne] posteritate temporis divina vobis gratia adeo benigne per nos facta per aliquem huius rei fortassis ignarum laedi possint et infringi, hanc desuper paginam sigilli nostri maioris appensione fulcitam vobis duximus concedendam. Praesentibus testibus etc. Datum Dresden feria IIII. ante Michaelis XLVIII<sup>o</sup>.

Aus dem Liber privilegg. march. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden no. 25. fol. 6.

a) Magister Dietrich von Gogh oder Goch, wahrscheinlich aus Goch im Herzogthum Cleve gebürtig, in Cöln gebildet, ausübender Arzt (professor medicinae) und Leibarzt des Markgrafen Friedrich des Ernsthaften, bis zu dessen Ableben (13. Nov. 1348) häufig von Meissen abwesend, 1350 Scholasticus, 1353 Decan des Hochstifts, gest. im Apr. 1367.

No. 449. 1348. 18. Dec.

*B. Johann belehnt den Burggrafen Meinher und dessen Vettern mit Haferzinsen, die sie in der Gegend von Freiberg gekauft haben.*

In nomine domini amen. Cunctorum periret memoria factorum, si non litterarum et idoneorum testium patrocinio firmaretur. Nos igitur Johannes dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus tenore praesentium recognoscimus publice protestantes, quod nobili viro domino Meinhero sacri imperii burgravio Misnensi et comiti in Hartenstein ac suis patruis videlicet dominis Meinhero, Hermanno et Bertoldo necnon omnibus et singulis legitimis successoribus novem maldaria avenae minus quatuor modiis in villa Vicmansdorf<sup>a)</sup> prope Friberg sita ex resignatione Cunczconis Teleri iusto emptionis et venditionis titulo interveniente inter eos bona voluntate et praehabita deliberatione in feudum contulimus et conferimus harum nostrarum serie litterarum. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus duximus appendendum, praesentibus honorabilibus viris et testibus subnotatis dominis Hermanno de Wolficz

a) Weigmansdorf, Par. Lichtenberg.